


VERBI
PIISSIMÆ
SCALÆ
ARBORI



INCARNATI
MATRI;
COELESTI,
SALUTIS.

SANCTÆ MARIÆ VIRGINI SUB INVOCATIONE
DE EL PERDON.

D. O. C. Q.

D. Joachinus Antonius à Lacarra, & Lope-Garcia.



QUAMVIS TAM PRINCIPIBUS, AC MAGISTRATIBUS, QUI REIPUBLICÆ PRÆSUNT, QUAM JURISCONSULTIS, Medicis, atque aliis, qui eidem inserviunt, Philosophia utilis censenda sit; Christiano tamen Doctore in primis necessaria esse videtur. De eo enim tria exigit Scriptura: ut scilicet sit paratus ad reddendum fidei suæ rationem omni petenti 1. Petri 3. ut potens sit exhortari in doctrina sana ad Titum 1: ut eos, qui contradicunt, arguere possit ibidem; & ad hæc omnia quamplurimum confert Philosophia. Nam ad primum munus quod attinet, tripliciter fidei rationem reddere possumus; & ea, quæ sunt præambula ad fidem, existentiam nempe, unitatem, & providentiam Dei demonstrando; & ipsa fidei mysteria, ut Trinitatem, Incarnationem, Redemptionem non repugnare, ostendendo: & quæ contra mysteriorum possibilitatem fiunt argumenta, plane solvendo. At quantum ad hæc valeat Philosophia, facile convincetur quisquis eas, quas ipsa supplet rationes naturales, convenientias, & solutiones vel parum contempletur. Ad exhortandum etiam multum eam juvare non obscure percipiet, qui non de ea, quæ per tropos Rethoricos fit exhortatione, sed de ea maxime, quæ rationum, & argumentationum pondere veritatem demonstrat, Apostolum ibi loqui advertat. Ad arguendum demum fidei adversarios, quod vel eos impugnando, vel eorum sophismata solvendo, exequi possumus, Philosophiam necessariam esse, quis neget, cum & rationes, ut efficaciores sint in formam Sylogisticam ordinare, & sophismatum versutias detegere, proprium ipsius munus esse, cuique constet? Nec alio spectat illud Hieronimi super Ezech. *quidquid ad terrenam sapientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc Dialectica arte subvertitur, & instar incendii in cineres, & favillas dissolvitur.* Atque huic sancti viri dicto & ipsa favet experientia. Nam Hæreticorum rationes sub verborum, & eloquentiæ fucō robustæ quidem, & ad persuadendum efficaces videntur; sed ad Philosophiæ formam reductæ, vitro fragiliores, & paleis debiliores deprehenduntur; tunc enim apparet defectus qui sub verborum veste tegitur. Nec capitale illud odium, quo Hæretici Scholasticam Theologiam, & ex sacris Doctoribus præcipue Divum Thomam, qui fidei doctrinam Philosophico disposuit artificio, persecuntur, suum aliunde traxit ortum. Huic ergo Præstantissimæ facultati meorum consilio parentum operam dare incepti, ac eorundem præcepto qualemcumque hac in re fecerim profectum, Dei Matri offerre decrevi.

C O N C L U S I O N E S P H I L O S O P H I C Æ.

1. **G**eneratio non est actio ab alteratione distincta, sed est terminus, & consummatio actionis alterativæ.
2. In corruptione substantiali non solum nulla remanet forma substantialis veteris compositi, sed nec ullum accidens.
3. Anima rectè definitur ab Aristotele, actus primus corporis Physici organici potentia vitam habentis.
4. Definitio animæ convenit animæ rationali.
5. Vulgata est eaque optima divisio animæ in vegetativam, sensitivam, & rationalem.
6. In vivente immò in quovis composito, non est, nisi una substantialis forma.
7. In vivente, etsi plura vitæ genera contineat, ut homo, non est, nisi unica anima, quæ omnes vitæ functiones præstat.
8. Anima perfectorum animantium est indivisibilis: at plantarum, & imperfectorum quorundam animantium est divisibilis.
9. Sanguis saltem perfectus vivit, & animatur.
10. Potentiæ vitales specificantur ab actibus, & objectis propriis, ab actibus quidem proximè, ab objectis vero mediantibus actibus.
11. Substantia materialis sine quantitate non habet actu partes integrales, sed solum radicaliter.
12. Substantia materialis sub quantitate habet partes substantiales integrantes.
13. Anima rationalis est spiritualis.
14. Anima rationalis est immortalis.
15. Ex animabus rationalibus quædam sunt substantialiter perfectiores aliis.

16. **I**ntellectus est simpliciter nobilior voluntate.
17. **F**elicitas hominis in solo Deo consistit.
18. Felicitas formalis non consistit essentialiter in pluribus actibus.
19. Felicitas formalis non potest consistere in actu voluntatis.
20. Felicitas formalis naturalis essentialiter consistit in actu intellectus, contemplatione scilicet perfectissima, quæ intra naturæ ordinem de Deo haberi potest.
21. Ens dicitur absolute, ac primario possibile ex non repugnantia ad essendum; secundario verò, & respectivè ab omnipotentia divina.
22. Inest creaturis potentia obediencialis passiva ad actum, naturæ vires excedentem, à Deo habendum.
23. Non inest creaturis potentia obediencialis activa ad effectus naturæ vires excedentes operandos absque additione virtutis intrinsicæ.
24. Agentia creata sunt in potentia passiva obedienciali, ut eleventur à Deo per virtutem illis additam, ad effectus naturæ vires excedentes.
25. Ens non dicitur univocè de Deo, & creaturis, sed solum analogicè.
26. Ens non est etiam univocum respectu substantiæ, & accidentis.
27. In omni ente finito, & creato essentia re ipsa distinguitur ab existentia, ut potentia à suo actu.
28. Existentia Dei naturaliter demonstrari potest.
29. Actus scientiæ non potest compati actum opinionis.
30. Actus opinionis potest esse cum habitu scientiæ, si sit in tali statu, ut non possit prorrumpere in actum.

Merit, qui supra dicavit Præside D. D. Joanne Michaele à Gorostieta Philosophiæ Cathedræ Moderatore in publico Seminarii Pompelonero.
Die 21. Aprilis anni 1786. Manè Hora 8.

Excudebat Pomp. Antonius Castilla Typographus.

Superiorum permisu.